

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nummotheca Principum Austriae

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

Herrgott, Marquart

Friburgi Brisgoviae, 1752

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](#)

Tab. XI. *latinum* prope Ratisbonam ad pugnam adegit, in qua victoria quidem penes Cæsarem stetit: sed MAXIMILIANUM eo in certamine equo deiectum, & propemodum pedibus proterendum, ERICUS *Brunsvicensis* certo discrimini eripuerat. Unde constat, numisma hoc, ut & sequens minoris moduli, ob evi-dens hoc vitæ periculum cusum, factumque modo enarratum, lemnā recitatum assumendi occasionem dedisse. *M. Imp. a.*
ibid. ar. sed sine aversa. pond.
dimid. unc. ♂ T. H.

XXII.

Tab. XII. Idem nummus, minoris moduli, & omissa æra Christi. Eius expositionem num. proxime antecedenti dedimus. Rota, non ensibus & fustibus, ut somniat BURCKENIUS, sed ter-nis hinc atque hinc quasi ignitabulis, vel ferreis aduncis instructa est. Malum vero punicum, cui rota infilit, in hunc fere modum symbolice interpretantur: quod, uti illud duri & amari quidem corticis est, attamen suaves dulcesque acinos habet: ita iucunda sit, superato periculo, recte factorum memoria. LUCK. p. 8.

XXIII. & XXIV.

MAXIMILIANVS. ROMANO-RVM. IMPERATOR. SEMPER. AV-GVSTVS. ARCHIDVX. AVSTRIE. Protome Imperatoris armata, capite coronato, & dextrorsum converso.

PLVRIVMQZ. EVROPE. PRO-VINCIARVM. REX. ET. PRIN-

CEPS. POTENTISSIMVS. Eques MAXI-armatus & cristatus gladio ferit. MILIA-NVS I. A dextris comparet scutum Imperiale coronatum, igniariis & flamnis ex torque aurei velleris desumptis, circumdate. Ad sinistram crux Burgundica cum binis igniariis. Apposita in medio æra Christi 1508. Equum præcurrit miles pariter cristatus, baculum dextra tenens, fin. umbonem: ille phaleratus in straguli postica parte repeti-tas gerit tesseras Ordinis aurei velleris, crucem Burgundicam cum ignitabulis: in antica vero solum igniarium cum flamma præfert. Ad pedes equi duo prostrati iacent milites. Reliquum areæ inferne exornant quatuor parvula scutariae, scilicet *Hungarie*, *Austriae*, *Burgundiae*, & *Habsburgi*.

Numnum hunc Cl. HERÆUS in suis quoque tabulis æri inci-dendum curavit, sed opus male cessit; quandoquidem chalco-graphus in aversa parte æram Christi omisit, & clypeum Imperii nubibus circumdedit.

Ex adposita porro æra di-scimus, numisma hoc cusum fuisse, quando MAXIMILIANUS Cæsar cum exercitu in Italiam, ut Romæ Imperii corona orna-retur, iter adornabat, quod inde Veneti, hinc Galli, vias obsidentes, impedire conati sunt. Quam ob rem Cæsar ambos hostes quasi profligans sistitur.

Eiusdem nummi typum inveni in gazis Aulæ Vindob. in ar. qui in eo solum a priori differt: quod pars anterior Cæsarem medio corpore fistat, sinistror-

D 3

sum

MAXI-
MILIA-
NUS I.

sum conversum, coronatum, torque aurei velleris ornatum, sinistra sceptrum, dextra inversum gladium capulo tenentem, adposito scuto Imperiali, cui impressa est pampula Austriaca.

Nuñnum porro istum haud quaquam usualibus monetis, seu nummis uncialibus, sed mnemonicis adnumerandum esse, recte monet Cl. KOHELERUS (a).

Alius fere similis nummus anno 1516. percussus fuit, quo MAXIMILIANUS ultimam suam adversus Mediolanenses expeditionem suscepit, uti infra videbimus: sed in illo non nisi unus miles equo substratus conspicitur. *M. Imp. ar. pond. dimid. unc. drach. 2. & ibidem ar. fus. pond. dimid. unc.*

XXV.

MAXIMILIANVS. DEI. GRA *tia*
ROM. *anorum. IMP. erator SEMP. er*
AVG. usus ARCHIDVX. AVSTRIE.

Imperator cataphracta munitus, cum corona, supra galeam capiti imposta: vexillo, cui aquila Imperii biceps, scutum Austriacum novum in pectore gerens, impressa, instructus, equo armato & pulchre phalero, ac in fronte acutum cornu gerente, a dextris sinistrorum vehitur. In eius dorsuali crux Burgundica cum igniariis, & in anteriori stragula aquila Imperii biceps, nec non solis figura conspicitur. In lacinia stragulæ symbolum MAXIMILIANI patrio sermone conceptum legitur: HALT MAS IN ALEN DING i. e. *tene mensuram in*

(a) M. B. L. Praef. P. XI. §. 34

omni re, de quo nonnulla ad Tab. XII. num. xv. diximus. Infra sub ventre equi nota chronologica 1509. adiicitur.

Perigraphe averfæ cum præcedenti convenit: nisi quod hicce non nulla verba abrupta sint. Scutum coronatum & torque aurei velleris cinctum, aquilam Imperii bicipitem, cum pampula Austriaca nova præferrens, scutis minoribus numero septem stipatum. Hæc vero pariter in orbem circumdant pampulæ provinciarum, quæ MAXIMILIANO parebant, undeviginti, quorum expositionem Tom. I. dedimus, ubi de insignibus, in turri Oenipontana pictis, data opera differuimus. *Dissert. IV. Tab. XV. pag. 86. seq.*

MAXIMILIANO placuit se equitem & armatum in nummis spectabilem præbere, cum fueto suo lemmate ac symbolo, ut vocant, quando profectio ad militarem expeditionem instituenda erat; quod ipsum constat ex aliis nummis, eius iussu cufis an. 1508. 15. 16. &c. Jam vero æra in hoc nummo signata, annus nimirum 1509. tempus significat, quo Cæsar contra Venetos grave bellum suscepit: qua de re plura apud *Gerb. de Roo, HEVTERVM*, & alios passim.

Illud quoque non moramur, quod contra titulos in hoc nummo expressos, auctor Germaniæ Principis adduxit; consulendi ea de re *MELLENIUS*, & *KOEHLERUS*, locis a nobis saepius citatis. *M. Buol. ar. pond.*

Tab. XII. pond. 1. unc. 1. drach. M. S. B.
pond. 1. ♂ dimid. unc. drach. 1.
LUCK. p. 17.

XXVI. & XXVII.

M A X I M I L I A N U S armatus, succinctorio instructus, & pileo cristato tectus, dextra ansata, sinistra parazonium tenens, equo phalerato, & cataphracta squammata munito, a sinistris dextrorum vehitur. A brachio sinistro gladius distictus dependet, & in stragulo equi anteriori, figura virilis depingitur, quæ globum seu orbem terræ volvere conatur. Belli, ut opinor, symbolum; eo quod illo flagante, terra quasi moveri, & concuti censeatur. In posteriori scutum *Austria* in corona laurea comparet.

Postica numismatis pars sueto Imperatoris symbolo: TENE. MENSURAM ET. RESPICE. FINEM. exarata est, adiecta æra Christi: M. D. XIII.

M A X I M I L I A N V S. R O M A N O. r u m IMPERATOR. Protome Imperatoris armata, capite nudo ad lœvam converso.

M A X I M I L I A N U S cataphracta munitus & coronatus dextrorum equitans, dextra equum moderatur, sinistra sceptrum gerit, præcunte Marte Gradio, seu figura militari armata cum galea cristata in capite, quæ dex. hastam oblongam ferratam, ac in humeros reclinatam gerit, fin. umberonem tenet. Equitem comitantur duæ figuræ muliebres stolatæ, quarum altera *Justitiae* typus, bilance instrueta est; altera insigni de-

stituta, *Fidei* tamen, uti mox MAXI- videbimus, typum gerit. In MILIA- exergo sequens inscriptio legi- NUS I. tur: MAR. FA. IV. FI. Q. CO.

Numisma hoc priori adiunxit in tabulis suis Cl. HERÆUS: quod & ego in gazis Archidu- calibus reperi in ære. Ambo profectionem ad militarem ex- peditiōnem indicant; quæ cum in postica maioris numismatis, lemmate exprimatur: in hoc minoris moduli nummo expli- catur figuris. Quare perigra- phen paullo abstrusiorem, hunc in modum interpretandam esse nullus dubito: MAR. s FA. vebit. (seu MAR. te FA. vente) IV. stitia FI. de Q. ue co. mite.

Ex nota chronologica 1513. quam prior nummus præfert, utrumque in memoriam expe- ditionis ad Teroanam, Morino- rum urbem, ad quam Cæsar per id temporis cum pulcherri- mo equitatu H E N R I C O VIII. Angliæ Regi, qui eam urbem obsederat, auxilia ferens, pro- fectus est, percussum fuisse iu- dicamus. M. Imp. ar. absque postica. pond. 1. unc. drach. 2. ♂ ibid. in plumbō. Item in T. H.

XXVIII.

Adversa nummi pars eadem cum proxime præcedenti: nisi quod hic Imperator torque au- rei velleris insignis dextrorum respiciat.

Imperator eques coronatus & armatus dextra gladium te- nens, fin. capistrum, sinistrorum proficiscitur, præcunte fi- gura militari, clypeo, & hasta supra sinistrum humerum recli- nata,

MAXI-
MILIA-
NUS I.

nata, instructa, ac subsequentibus duabus figuris muliebribus, quarum altera strictum gladium gerit. Additur in exergo æra Christi M. D. XXXI.

Nemo non videt, nummum hunc ad exemplum proxime præcedentis fabrefactum esse, sed non admòdum feliciter; si quidem in hoc typo multa sunt alterata, & inversa omnia. Imperator hic loco sceptri gladium gerit, & *Justitiae* typus insigni suo destituitur, altera quoque ex mulieribus gladium effert. Restaurator etiam figlas, quæ in prima parte leguntur, non intellexit; hinc earum loco notas chronologicas MDXXXI. substituit, quæ utique in mendō cubant; cum scribenda fuisset æra Christi MDXIII. ut ex præcedenti nota perspicuum est. Auctor supplementi I. ad loculamenta grossorum recens aperita eundem hunc nummum Tab. IX. num. 103. exhibatum pro restituto agnoscit. *M. Imp. ar. pond. 2. drach.*

XXIX.

MAXIMILIANUS I. ROM. ANO-
RUM IMPERATOR S. EMPER AVG.
USTUS. Protome Cæsaris ut num.
XXI.

Cordis figura duabus fasciis, quæ convolutæ & in extremitatibus vinctæ sunt, circumdata. Perigraphe ex Prov. XXI. I. desumpta est, & una cum typo, qui eidem in hoc numismate iungendus est, hanc sententiam efficit: *Cor REGIS EST.*

(a) Apud FREHER. Rer. Germ. Script. Tom. II. pag. 593 seqq.

IN MANV DEI additur inferius Tab. XII.
æra Christi MDXV.

Celebratissimus est ULADISLAI II. *Hungarie & Bohemiae* filiique eius LUDOVICI, & SIGISMUNDI *Poloniae* Regum cum MAXIMILIANO Imp. Conventus, Vindobonæ habitus, cuius initium in XVI. Julii anni 1515. incidit. Ibi ANNA ULADISLAI, ex ANNA *Gandala*, filia, quæ & ipsa præsens erat, MAXIMILIANO ea conditione desponsata est: ut intra annum a CAROLO aut FERDINANDO Imperatoris ex PHILIPPO nepotibus, ducereatur. Et præterea MARIA Cæsaris itidem neptis LUDOVICO *Uladislai* filio desponsa, & anno 1521. coniuncta fuit. Quo quidem ex matrimonio Augustæ Domui Austriacæ *Hungarie Bohemiaeque* regna accreverunt. De eo singularibus libellis egerunt Jo. CUSPINIANUS & RICHARDUS BARTHOLINUS (a). Huius itaque celeberrimi conventus occasione signatum est præsens numisma honorarium; ut enim laudatus CUSPINIANUS testis oculatus, & tum Cæsaris orator fidem facit (b) vigesima b quarta Julii finita cœna: allata sunt numismata aurea & argentea, MAGNA PRÆTER SOLITUM CUM IMAGINE CÆSARIS, que Cæsar regibus & reginulis dispartitus est. Inter ea igitur præsens quoque; quippe quod eo anno percussum, ac insuper præter solitum magnum est, & Cæsar's imagine conspicuum, ad numerare non dubitamus: quemadmodum & sequentia duo,

quæ
(b) In diar. apud. eund. pag. 605.

Tab. XII. quæ sponsalitia sunt; hoc vero ipsum conventum spectare videtur. Eius quidem lemma generale admodum est, sed nihilominus tempori & rei, quæ tum gerebatur accommodatum. Tribus enim Regibus, Regisque personis distribuendum erat, quorum corda, ac voluntates piissimus Cæsar, non suo aut humano consilio, sed Dei nutu atque potestate, intimo consensu coniunctas fuisse, in oratione ad eosdem habita, gratus agnoscebat (a). M. Imp. a. & in T. H.

XXX.

IMP.erator CAES.ar PIVVS.
(pro *Divus*) MAXIMILIANVS.
P.ius F.elix AVG.ustus. Protome
Cæsaris ut num. XXI.

ANNA. RE.gis PAN.nonie FI.lia
IN. RO.manorum IM.peratorem
MAX I.milianum DESPONSA.TA.
Protome ANNÆ cum stola, collo monili ornato, capite coronato, & dextrorsum converso.

Numisma hoc sponsalitium ex præcedenti illustratur. Eius ectype Cl. KOEHLERUS quoque dedit, eumque eruditis annotationibus illustravit (b) de quo pariter mentionem facit Cl. HANTHALERUS (c). Quod ad titulum, DIVI, in nummo expressum, attinet, videri possunt, quæ ad FRIDERICI Placidi numismata num. x. pag. 6. adnotavimus: quibus, si placet, addi potest AENEÆ SYLVII, ibidem laudati, oratio coram CALLISTO Papa de compactatis

TOM. II. P. I.

(a) Vid. CUSPINIAN. I. c. pag. 605.
BARTHOLIN. pag. 656.
(b) P. IV. pag. 81.
(c) Wiener-Münz pag. 19.

Bohemorum circa annum 1456. MAXI-
habita (d); ubi in ipso ingressu titulum Cæsari viventi his verbis tribuit: DIVUS FRIDERI-
CUS Rom. Imperator. M. Imp.
ar. pond. 1. unc. drach. 2.

MILIA-
NUS I.
d

XXXI.

Adversa huius numismatis pars duplex monogramma exhibet, quatuor litteris: L V & M A, si recte iudicamus, consistens. Superius crux visitur, & infra illud nota chronologica 1515. in utriusque partis ambitu cruces, & rosæ, ornatus gratia, loco inscriptionis, observantur.

Adversa pars aquila Imperii bicipiti, alis expansis, conspicua est, imminentे capitibus corona.

Tertium hoc est numisma, quod in solenni Regum conventu, de quo paullo ante diximus, comparuit. Sponsalitium est, uti vix dubitari potest. Cl. HANTHALERUS (e) idem numisma ex LUCKIO laudat, atque ex siglis, in eo expressis, tria nomina: LUDOVICUS, MARIA & ANNA extundere conatur; sed pace viri Clar. dixerim, solos LUDOVICUM & MARIAM intelligi oportere. Prodiit enim in memoriam desponsationis MAXIMILIANI cum ANNA singulare, ut vidimus, numisma; quemadmodum & ipsa Regii conventus solemnitas peculiari nummo celebrabatur. Reliquum ergo erat, ut & LUDOVICI cum MARIA desponsatio

e

E pari
(d) Ap. MURATORIUM in Anecdota Tom.
III. pag. 209.
(e) HANTHALER loco cit. pag. 18. seqq.

MAXI-
MILIA-
NUS L.

pari monumento ad æternitatem consecraretur. Primum horum numismatum maximi moduli est; utpote quod ipsum Imperatorem Regesque concernebat: minori forma gaudet alterum; cum nepotum duntaxat desponsationi consecratum fuerit. Minimæ, respectu reliquorum, formæ est tertium; utpote, quod ad personas adhuc minorennæ pertinebat. In prioribus duobus MAXIMILIANI effigies comparet, in tertio aquila, Imperatoris symbolum; Cæfarem enim vel maxiæ decebat, ut quibus nummis personas Regias (quod eum fecisse num. xxx. observavimus) donaturus erat, Cæsar quoque aut effigie, aut symbolo, fulgerent. Luck. pag. 30.

XXXII.

Tab. XIII.

Protome Cæsar's armata, capite coronato, dextrorsum converso, cum Ordinis aurei velleris insigni: inferne sub axilla apponitur æra Christi 1516. Perigraphe sic fluit: MAXIMILIANVS. ROMANORVM IMPERATOR. SEMPER. AVGVST9. ARCHIDVX. AVSTRIE. quam nummi pars aversa hunc in modum prosequitur:

PLVRIVM.OZ. (lege QUE)
EVROPE. PROVINCIARVM. REX.
ET. PRINCEPS. POTENTISSIMVS.
Imperator eques armatus & cinctus, gladio educto militem feriens, qui sub equo prostratus iacet: a fronte alias miles præcedit, hastam & crumenam portans: a tergo *Victoria volitans* aquilam Romani Imperii, scuto coronato impressam, ef-

fert: inferius quatuor parvulae Tab. XIII. apparent, insignibus *Hungariae*, *Austrie*, *Burgundie* & *Habsburgi* conspicuæ.

Typum huius nummi dedit, & recensuit Cl. MELLENIUS in suis nummis uncialibus p. 22. eundemque in suas tabulas retulit Cl. HERÆUS; sed in huius delineatione per oscitantiam scalptoris, torques aurei velleris omissa fuit. Alium, vero forma nonnihil diversum, supra dedimus num. XXIII.

Hunc vero anno 1516. quo Cæsar ultimam suam adversus Mediolanenses expeditionem suscepit, cufum esse, recte admonet laudatus MELLENIUS, docetque ex coævis scriptoribus, in illa expeditione Italica, exercitum Imperatoris numerati stipendii moram ægre tulisse, ac militum nonnullos æra sibi debita tanta contentione flagitasse, ut etiam defectionem minitati fuerint: hinc ferunt, MAXIMILIANUM, militem quendam, alios ad rebellionem incitantem, suis ad Soncinum manibus interemisse. Utrumque factum indicare videtur postica nummi pars: hinc ut militum animos Cæsar ad bellum firmaret, magisque accenderet, militem in nummo exprimi iussit, qui accepta mercede sua bellica, latus ovansque præcedit. Tum vero, ut cæteros a defectione absterret, equitem se præbet Cæsar armatum, qui stricto perduellum petit gladio.

Numisma denique istud, non monetæ usuali, sed nummis mnemonicis adnumerandum esse